

modo textum non truncatum, sed integrum citasset. Sic enim habet: *Hoc autem ex semetipso non dixit (Caiaphas) sed quum esset Pontifex maximus anni illius, prophetavit fore, ut Iesus pro gente moreretur: Nec pro gente solum, sed ut etiam filios Dei dispersos cogeret in unum.* Manifestum enim est verba ista respicere ad verba Caiaphæ, quibus dixerat conducere Judæis, ut unus homo moriatur pro populo *ἕνεκ τῆς λαῶς*; quem populum deinde Evangelista appellat *τὸ ἔθνος*, & tota gens non pereat, *καὶ ὅλον τὸ ἔθνος*, quam gentem deinde appellat *τὰ τέκνα τῆς θεῆς τὰ διεσκορπισμένα*, sive eo significantur Judæi in variis oras dispersi, ad quos post mortem Christi, Evangelium regni promiscuè propagatum est; Sive significantur Gentiles, quos omnes antea ex numero filiorum regni, id est, populi Dei jure ac cognominatione segregatos, Deus per & post mortem Christi pro filiis suis, id est, pro populo suo, non minus quam Judæos, censurus erat: Sive intelligantur pii & probi, tam inter Judæos dispersos, quam gentes longè lateq; diffusas, quibus solis mors Christi annuntiata, profutura erat: Huiusmodi enim, *Ovium* nomine, & eorum *qui ex Deo sunt, qui bona faciunt, qui ad vitam eternam τελαγμένοι sunt*, designari suo loco probabimus. Quicquid sit, manifestum est, *filios Dei dispersos* ibi contradistingui a gente ista tota, id est, a toto populo Judæo, & dici Christum non minus pro tota ista gente moriturum, quam eo fine, ut filios Dei dispersos cogeret in unum. Pro gente a. significare isthic pro electis ex gente ista, non a. pro cæteris, quos antea à Deo reprobatos volunt, qua vel specie admitti potest?

EXAMEN CENSURÆ IN CAPUT IX.

De Cognitione voluntatis divinæ in
Fædere Novo patefactæ.

IN hac Censurâ, nihil singulare occurrit accuratâ animadversione dignum. Pleraq; omnia sunt impertinentia, & suis singula propriis locis, videlicet Capp. xvij. & xvij. examinanda venient: Nos strictim, & levi brachio, quæ hic censentur, percurramus.

Sectione I. carpit Censor, *quod in Declaratione non sufficienter declaratur primum illud caput divina Voluntatis, per ea quæ Deus a parte*
B b 3 sua per